



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae  
a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Carolus Azzolinus Episcopus olim Balneoregien[sis].

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

**Carolus Azzolinus Episcopus olim  
Balneoregien.**

**B**eatissime Pater: Vidimus in eximia Beati Thomæ charitate quomodo bonus Pastor operetur. Expedit, ut in Ecclesiæ totius exemplum videamus etiam, quomodo coronetur: ideo & proficuum, & opportunum reor, authoritate Apostolica Beatum Thomam referri in Sanctorum numerum, ut cuius bona reposita sunt in Domino, elemosynas illius enarret, atque imitemur omnis Ecclesia Sanctorum.

**Ferdinandus Apicella Episcopus Larineñ.**

**Q**via Beatus Thomas de Villanova, ob tot inclytas eius virtutes, in diebus suis placuit Deo, & inventus est Iustus, pietatemque vbiique plantando, vitia auultis, & inter Deum, & hominem in tempore iracundiae, factus est reconciliatio; Ideo iure iurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Merito igitur Sanctitas Vestra, Domini iuramentum exequendo, eundem in Sanctorum numero collocare meditatur. Idque ego æquissimum iudico.

**Thomas Lollius Episcopus Cirenæ.**

**P**erfectionem Patris nostri Cœlestis, Beatissime Pater, amulatus fuit in multis Beatus Thomas de Villanova Archiepiscopus Valentiæ ex Ordine Eremitarum Sancti Augustini, & præsertim in hoc, quod misericordia eius super omnia opera eius; nam sicut in Sancto Job, ab infantia crevit miseratio, & de utero Matris sue egressa est cum eodem; ita B. Thomas ab ineunte pueritia intellexit super egenum, & pauperem. Quare cum possideat Regnum viris misericordiae paratum, posse illum censeo à Sanctitate Vestra referri inter Sanctos.

Fla.